

primo, existentiam naturæ creatæ, nihil aliud esse quam personalitatem ejus, et ideo unica assumptione et unione assumptam esse humanitatem ad existentiam et personalitatem alienam. Sed hæc responsio imprimis fundatur in opinione Capreoli, quam pauciores Thomistæ sequuntur, scilicet, subsistentiam seu personalitatem naturæ creatæ esse illius existentiam, quæ opinio falsa est, ut in disp. metaph. de hac re latius tractavi, et ex dictis supra, circa q. 2 D. Thom., et hic, non obscure intelligi potest, quia, naturam substantialem existere, nihil aliud est quam esse actu ens extra nihil et extra causas suas; subsistere vero aut personari pertinet ad modum per se et complete existendi. Deinde, suppositis iis quæ supra, disp. 11, diximus, negari non potest quin existentia absoluta in Deo a personalitate Verbi, saltem ratione, distinguatur. Sed responderi potest secundo, in Trinitate dari in singulis personis existentias relativas ratione distinctas ab absoluta, quæ in singulis personis non distinguuntur a propriis relationibus; et ita unica unione humanitatis terminata ad proprietatem Verbi assumi potuisse humanitatem, tam ad existendum quam ad subsistendum, quia illa proprietas et subsistentia est, et existentia relativa. Sed quamquam hæc videri possit apparens fuga vel evasio, tamen non sibi constat, neque consequenter loquitur; nam ex eodem fundamento, ex quo cogimur ponere in Trinitate existentiam absolutam et relativam, cogimur ponere in duabus Christi naturis existentiam creatam et incretam, et ideo vel utrumque affirmandum esset, vel utrumque negandum. Quod ita declaratur, quia, si in Deo est existentia absoluta et relativa, ideo est quia existentia nihil aliud intrinsece est quam ipsa actualis entitas rei, et ideo quot sunt modi entitatum, et necesse est esse modos existentiarum; et hinc concluditur, quia in Deo est entitas absoluta et relativa ratione distinctæ, esse etiam proportionalem existentiam; ergo, pari ratione, quia in Christo sunt duæ naturæ, quæ sunt duæ entitates actuales, altera creata, altera increata, proportionaliter erunt existentia creata et increata. Vel e contrario confirmatur, quia si in persona creata existentia est unicus actus indivisibilis, per quam et persona et natura existit, multo magis in personis divinis ipsum esse absolutum naturæ erit etiam existentia omnium relationum, et existentia erit tantum absoluta, et in ea facta erit unio, et procedet ratio facta. Si autem in

Deo, sicut persona et natura ratione distinguuntur, ita etiam esse naturæ et esse personæ, ergo multo magis in natura et persona creata distinguetur esse naturæ ab esse personæ, et in Christo homine distinguetur esse naturæ creatæ, quod creatum est, ab esse personæ increato. Et confirmatur tandem, quia humanitas Christi est res absoluta; ergo constituitur ut sic per aliquod esse absolutum, et non per relativum; sicut e contrario, persona Christi non est absoluta, sed relativa, quia in ratione personæ non constituitur per terminum absolutum, sed per relativum.

17. *Qualis sit existentia creata animæ Christi.* — Dico secundo: creata existentia humanitatis Christi non est omnino perfecta et completa in genere substantiæ, et ideo habet potius rationem inexistentiæ, quam existentiam simpliciter. Hæc conclusio colligitur ex auctoribus supra citatis, et ipso mysterio nam per hanc existentiam non habet humanitas Christi ut in se existat, seu per se, et independentem ab alio, existit enim in Verbo a quo pendet; unde caret ultimo termino et complemento suo, et habet modum existendi in alio, sicut supra, disp. 9, explicatum est; habet ergo rationem inexistentiæ.

18. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: hinc solum colligitur deesse illi humanitati et existentiam ejus, ultimum et connaturalem terminum, qui est propria subsistentia, seu personalitas, quæ ex natura rei distinguitur ab existentia naturæ; non tamen inde fit, ipsam existentiam naturæ esse in se minus perfectam et completam, quam in quacunque alia humana natura. Respondetur ex principiis positus, quidquid actu est, eo modo quo est, habere aliquid existentiam; unde fit ut personalitas creata, eo modo quo est aliquid distinctum a natura, ita suo modo habeat propriam existentiam, qua conjuncta cum existentia naturæ, ex utraque conflatur una absoluta et completa substantialis existentia. Existentia igitur solius naturæ, comparata cum hac completa existentia, dicitur imperfecta et incompleta; nam, sicut ipsa natura sen humanitas, præcisa a persona, est incompleta substantia, ita ejus existentia præcise sumpta incompleta est, et hoc modo dicimus existentiam humanitatis Christi esse incompletam, et capacem modi inexistenti in Verbo; quia, licet nihil illi desit de existentia naturæ, tamen hoc totum est de se incompletum præcise sumptum, et carens ultimo suo termino, ut explicatum est. Fundamentum

contrariæ sententiæ fere ex dictis eversum est. Ostensum est enim, existentiam non ita distingui ab essentia, ut possit res aliqua existere per existentiam alterius, sicut non potest esse entitas per entitatem alterius; quia, sicut nihil est magis intrinsecum, et (ut ita dicam) magis idem cum unaquaque re, quam ipsa ejus entitas, ita nullus quasi effectus formalis requirit actum magis intrinsecum et proprium ipsius rei, quam ipsum existere; et propterea illa compositio ex essentia creata et existentia increata, et in universum ex essentia propria, et existentia aliena, impossibilis est. Sed ne videamur difficultatem subterfugere, oportet in particulari dissolvere quæ in contrarium objici solent.

19. *Objectio.* — *Responsio.* — Objicitur enim primo auctoritas Sophronii, VI Synod., act. 11, ubi, de Christi humanitate loquens, inquit: *In ipso, id est in Verbo, et non in se, habuit existentiam unam cum Verbo.* Secundo, objicitur auctoritas Damasc., lib. 3, c. 22, ubi dicit humanitatem Christi existere per existentiam Verbi. Hæc duo testimonia affert Medina hic, his eisdem verbis; idcirco ita illa proposui. Addunt etiam auctoritatem D. Thomæ, quam nunc omitto, quia de illius mente latius sectione sequenti dicturus sum. Adjungi vero potest testimonium Leonis Papæ, epist. 11, dicentis humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam; et Fulgentii, lib. de Incarnat., cap. 3, ubi sic ait: *Ipsa acceptionis carnis fuit conceptio virginalis.* Ad Sophronium respondetur primum, illam particulam ultimam, scilicet *cum Verbo*, additam esse ab argente, non enim ita habetur in textu; qua sublata, reliqua verba simpliciter intellecta, ut sonant, nostram sententiam potius confirmant, quia non est sermo de Christo, sed de humanitate, ut patet aperte ex verbis antecedentibus: *Simul, inquit, caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, in illo itaque, et non in semetipsa, habuit existentiam unam;* de humanitate autem verissime dicitur habere tantum unam existentiam, eamque non in se, sed in Verbo. Verus tamen sensus Sophronii, ejusque intentio est, docere contra hæreticos, humanitatem, in eodem instanti temporis in quo incepit esse in rerum natura, fuisse Verbo unitam; et hoc modo dicit, semper habuisse unam existentiam invariata, et ejusdem modi, quia non prius per se existit, postea in Verbo, sed semper in Verbo. Qui sensus fa-

cile patet ex verbis citatis, et ex omnibus quæ antecedunt ab illo loco: *Incarnatur ergo Verbum Deus, quod nostrum est, non præfactæ carni copulatus, præformative atque in sese præsubsistenti aliquando corpori conlinitus vel animæ præexistenti conjunctus; sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus naturaliter copulatus est, contemporalem habens unionem atque subsistentiam, et non ante verissimum ipsius Verbi conventum in se ipsis unquam extiterunt, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus extiterunt, sed Verbi ipsius naturali conventu subsistentiam habitura concurrerunt, et nec quantum in ictu oculi, hanc quam illam priorem habentia, sicut Paulus Samos. perstrepsit, atque Nestorius; simul quippe, etc.* ut supra; et postea subjungit rationem, qua id ipsum declarat, dicens: *Cum conceptu quippe Verbi hæc ad subsistendum prolata sunt,* etc. Difficilliora videri possunt verba, quæ post tres fere columnas subjungit, dicens: *Quæ enim extat persona composita ex inconfuso constans temperamento, partitionem convenientium nescit, sed esse unum, et permanere unum indivisum sortitur;* et infra: *Est unum et duo: unum secundum subsistentiam atque personam, duo vero secundum ipsas naturas, atque earum proprietates, ex quibus esse unum sortitur natura duplex, et unum permanere servavit.* Respondetur tamen, eundem sensum per hæc omnia verba intendere, scilicet, illas naturas semper fuisse unitas, et hoc modo habuisse semper unum esse personale, in quo semper permanserunt indivisa et indissoluta, componendo semper unam personam Christi. Possunt etiam hæc verba ultima explicari juxta doctrinam statim sectione sequenti tradendam, quæ illis poterit confirmari.

20. Testimonium Damasceni falso confictum est, quia nec illa verba, nec alia similia, vel in citato capite, vel in toto 3 lib. de Fide reperiuntur, sed in illo c. 22 dicit, *carnem ab ultimo ortu Deo Verbo unitam esse, imo potius in ipso extitisse, ac personalem cum eo identitatem habuisse.* Quæ verba aliter vertit Faber, dicens, *Verbum fuisse unitum carni extrema existentia.* Ex quo verbo aliqui nituntur nostram sententiam confirmare, quia indicat Verbum fuisse unitum carni existentia extrema, id est, imperfecta existentia. Sed melius vertit Billius in citatis verbis, quorum verus sensus est, *carnem ab ultimo ortu, id est, a sui initio et primo ortu, seu conceptione,*



fuisse Verbo unitam, et in eo editisse, ubi non dicit per illud, sed in illo editisse, quia Verbum non est ipsa existentia humanitatis, sed terminus existentiae ejus.

21. Ad Leonem Papam et Fulgent. respondetur, sensum eorum esse eundem qui Sophronii, scilicet, in eodem instanti fuisse animam seu humanitatem creatam et assumptam. Sic enim ait Leo: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa, id est, in ipsa assumptione crearetur;* ubi illud prius, et posterius ad temporis successionem manifeste referuntur. Fulgentius vero ita rem exposuit: *Hanc carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eadem Deus concipiendus advenit; non est igitur aliquod intervallum existimandum inter initium carnis, et adventum majestatis.* Addi potest, per creationem ex natura sua produci rem subsistentem, et ideo quodammodo dici potest creatio non esse consummata, donec res ad subsistendum perducta sit. Quia ergo productio animae vel humanitatis Christi non fuit terminata ad subsistentiam, nisi ratione assumptionis, ideo quodammodo dici potest ipsa assumptione fuisse creatam.

22. *Objectio secunda.* — Secundo, obijciunt rationes metaphysicæ. Prima, quæ supra insinuata est, quia esse existentiae in creaturis distinguitur ex natura rei ab essentia; ergo potest Deus separare essentiam ab existentia, et per propriam existentiam increatam illam supplere, sicut de subsistentia dicimus; ergo ita factum est. Secunda, quia vel existentia substantiæ nihil aliud quam subsistentia ipsa, quia est existentia per se; vel si aliquo modo distinguuntur subsistentia et existentia substantialis, sunt ita per se ordinatæ, ut existentia propria necessario supponat propriam subsistentiam; quia existentia est proprius actus suppositi, nam id, quod est et quod fit, est suppositum; ergo neutro modo poni potest in Christi humanitate existentia creata. Nam si prior dicendi modus asseratur, sicut in illa humanitate non potest poni secundum fidem subsistentia creata, ita nec creata existentia substantialis, quia ponuntur esse omnino idem; si autem affirmetur posterior modus, constat in his, quæ sunt per se subordinata, ablato priori, consequenter tolli id quod posterius est, atque adeo, ablato proprio susceptivo existentiae, quod est suppositum, auferri existentiam. Neque enim potest existentia creata recipi in persona increata, vel esse actus ejus; alias Verbum

existeret per existentiam creatam, et existentia creata esset perfectio personalitatis Verbi, quæ impossibilia sunt.

23. *Responsio.* — *Essentia ab existentia in creaturis quomodo distinguatur.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Ad primam rationem respondetur, essentiam creaturæ, ut abstrahit ab actuali existentia, solum significare rem possibilem, quæ ut sic nihil actu est, neque habet entitatem actualem, sed in potentia tantum objective; unde ut sic distinguitur ab actuali existentia seu entitate, sicut res in potentia a re in actu; at vero essentia creaturæ ut jam facta, seu ut actualis entitas, vel formaliter est ipsamet actualis existentia, vel ita illam includit, ut nulla ratione possit ab illa præscindi vel separari. Et ideo impossibile est ut essentia creata sua propria existentia privata assumptibilis maneat, quia non assumitur ens in potentia, sed ens in actu, unde non est eadem ratio de subsistentia seu personalitate; quia personalitas creata non constituit naturam in ratione actualis entitatis, sed supponit in illa entitatem, et terminat illam tanquam modus illius; et ideo, separata personalitate, intelligitur natura manere assumptibilis, et terminabilis personalitate aliena; at vero, ablata existentia, nihil manet in re quod assumi possit. Dices esse verum, si res privaretur omni existentia, non vero si ablata propria assumatur ad alienam; sic enim id, quod assumitur, erit aliquid in actu saltem per alienam existentiam. Sed hoc jam rejectum est; ostensum est enim, id, quod assumitur, debere esse aliquid in actu, ut supponitur assumptioni; ostensum est etiam nullam entitatem actualem posse constitui in esse talis entitatis per existentiam aut entitatem alienam.

24. *Existentia a subsistentia quomodo distinguatur.* — Ad secundam rationem respondetur ad priorem partem, subsistentiam ex natura rei distingui ab existentia substantiali naturæ creatæ; nam, licet illa existentia dicatur esse per se, ut distinguitur contra esse in alio per modum accidentis, quia ex natura sua est apta ut terminetur per subsistentiam, tamen in suo formali conceptu non includit actualem modum per se essendi, in quo subsistentia consistit. Et hoc sensu subsistentia est modus existentiae, ut recte Damascenus dixit; sicut in accidentibus, existentia accidentalis potest dici esse in alio, non quia actualis inhaerentia sit de conceptu ejus, sed quia natura sua apta est per illam ter-

minari; ipsa vero actualis inhaerentia modus est ab illa distinctus, et de potentia absoluta ab illa separabilis; sic igitur ab humanitate Christi separabilis fuit subsistentia creata, servata existentia ipsius humanitatis. Ad alteram vero partem respondetur, existentiam substantialem completam et integram ex omni parte in creaturis tantum reperiri in supposito seu persona, et ideo dixi supra, existentiam creatam humanitatis Christi non esse hoc modo completam; at vero, generatim et absolute loquendo, existentia non est actus suppositi, sed est actus cujuscunque entis, seu potius est ipsa actualis entitas cujuscunque rei. Et hoc modo existentia naturæ est actus vel entitas ipsiusmet naturæ, quæ in omni natura creata prior natura est quam subsistentia, unde potius natura per suam existentiam constituitur capax personalitatis quam e contrario, quamvis totum suppositum compleatur in suo esse per personalitatem, et ideo illud dicitur simpliciter esse et fieri. Quocirca, ablata personalitate creata ab humanitate Christi, licet non permanserit esse completum personale et creatum, potuit tamen manere esse ipsius naturæ, quod non est posterius, sed prius quam personalitas. Et ideo non sequitur Verbum simpliciter existere per existentiam creatam, quia, ut supra, q. 16, art. 9, dicebamus, existere absolute dictum et secundum adjacens, significat esse simpliciter ejus cui tribuitur; at vero esse simpliciter Verbi non est creatum; vere autem dici potest, quod Verbum existit homo per existentiam creatam et humanam, non quia illa existentia sit actus suppositi secundum se, sed ut est homo, seu quia est actus humanitatis in eo existentis.

25. *Christus per generationem habuit a matre existentiam humanitatis.* — Tertio, obijciunt rationes Theologicas. Prima et præcipua est, quia sequitur, unionem humanitatis ad Verbum esse accidentalem; non enim potest intelligi inter aliqua duo substantialis unio, nisi in quantum unum trahitur ad esse alterius; unde si anima et corpus haberent proprias existentias, non posset intelligi inter ea substantialis unio, præsertim quia existentia humanitatis est completa, et existentia Verbi similiter; ergo non potest una alteri advenire nisi accidentaliter. Secunda, quia alias sequitur humanitatem Christi habere existentiam a matre per generationem; terminus ergo illius generationis erit hoc esse creatum humanitatis; erit ergo Beata Virgo

mater humanitatis, et non Dei. Tertio, addi potest, quia id, quod est simpliciter unum, tantum habet unum esse. Sed de hoc dicemus sectione sequenti. Ad primam ergo rationem respondetur negando sequelam, quia unio naturæ cum supposito substantialis est, et hujusmodi est hæc unio, ut Concilia tradunt, quæ nunquam dixerunt hanc unionem esse essentiae cum existentia, sed naturæ realis cum supposito increato; cui unioni tantum abest, ut repugnet existentia creata ipsius naturæ, ut sine illa potius nec intelligi possit; quia sine illa non esset natura realis in actu, et consequenter neque assumptibilis. Neque est verum unionem substantialem duarum rerum in hoc consistere, quod una trahatur ad suum esse existentiae; nam etiam anima et corpus revera habent partiales existentias suas, incompletas quidem in suo genere, substantialiter tamen uniuntur per modum actus et potentiae ad constituendam unam completam naturam ejusdem generis substantiæ; tota vero humanitas licet in ratione naturæ completa sit, tamen in ratione substantiæ adhuc est incompleta et caret ultimo termino, et ideo substantialiter uniri potest subsistentiæ Verbi, ut cum illa componat unum suppositum ac personam humanam. Ad secundum concedo primam sequelam, imo non video qua ratione id negari possit, quia, si Christus non habuit a matre existentiam humanitatis, nihil ab illa habuit, quia ab illa non habuit existentiam increatam, neque unionem ad Verbum; essentiam autem nudam ab illa habere non potuit, quia illa nihil est nisi tantum quædam res in potentia. Negatur vero ultima consequentia, quia, licet formalis terminus illius generationis sit humanitas cum sua existentia, tamen ultimus terminus, qui generatur, non est humanitas, sed hic homo; quia illa humanitas et existentia ejus non in se fit, sed in Verbo, et ideo Verbum vere dicitur generari et nasci ex Virgine. Sicut interfectores Christi vere privaverunt humanitatem existentia sua, non enim extitit humanitas in illo triduo; tamen, quia humanitas non est passa, nec privata existentia secundum se, sed ut in hoc supposito existens, ideo vere dicitur hic homo interfecetus, et Deus mortuus. Unde hoc argumentum multo magis retorqueri potest contra Thomistas, quia si humanitas Christi non habet existentiam creatam, vix intelligi potest quid habuerit Christus a matre, ut sit filius ejus. Et quamvis ipsi dicant habuisse esse es-



sentiae ipsius humanitatis, hoc praeterquam quod repugnantiam involvit in ipsis terminis, ut ostensum est, quia esse essentiae non fit nisi ratione existentiae, evidenter ostendit quam sit invalidum dictum argumentum, nam si hoc illis satis esse videtur, ut Beata Virgo sit mater Dei et hominis, multo magis videri debet sufficiens, quod nos dicimus, habuisse, scilicet, Verbum et Christum a matre non solum essentiam, sed existentiam humanitatis.

## SECTIO II.

*Utrum simpliciter dicendum sit, Christum habere unum esse vel plura.*

1. In hoc dubio fere jam non relinquatur quaestio in re ipsa, sed in modo loquendi, et enunciandi propositiones; nam in re constat, suppositis quae diximus, sicut natura humana et divina in Christo distinctae res sunt, ita etiam habere existentias distinctas prout ad naturas pertinent. Constat autem ex fide illas naturas ita esse distinctas, ut tamen substantialiter unitae sint et conjunctae in uno Christo. Solum ergo videtur relinqui quaestio de propositionibus ipsis, an, simpliciter loquendo, Christus dicendus sit habere plura esse propter naturas, vel unum esse propter suppositum; et hunc existimo esse sensum quaestionis a D. Thoma hic propositae, quidquid Cajetanus dicat, quod ex sequentibus constabit.

2. Scotus ergo, Durandus, et fere alii auctores citati sectione praecedenti pro nostra sententia, simpliciter ita loquuntur: sicut in Christo sunt plures naturae, et plures formae, ita etiam esse plures existentias, sicut etiam dicuntur esse in illo plures voluntates, seu plures operationes, quarum formalia principia sunt ipsae naturae, quamvis suppositum volens et operans sit unum et idem. At vero D. Thom. hic expresse docet in Christo tantum esse unum esse. Cujus sententiam sequuntur omnes ejus discipuli, qui modus loquendi mihi magis probatur.

3. Unde breviter dico primo: simpliciter dicendum est esse in Christo tantum unum esse substantiale, completum et perfectum. Hanc existimo esse mentem D. Thomae hic, et potest confirmari verbis Sophronii supra citatis. Et optime probatur ratione D. Thomae, nam ens in actu constituitur per ipsum esse, ut ostensum est; ergo quod est simpliciter unum ens, simpliciter habet unum esse quo consti-

tuatur; sed Christus est simpliciter unum ens, ut dictum est articulo primo; ergo et habet unum esse. Et confirmatur rationibus Thomistarum sectione praecedenti allatis, quae in bono sensu ad hanc conclusionem confirmandam accommodari possunt hoc modo; quia omnis substantialis unio, sicut terminatur ad unam substantiam, ita et ad unum ens per se; ergo et ad unum esse simpliciter. Et hoc sensu necesse est ea, quae substantialiter uniuntur, convenire aliquo modo in uno esse totius; cum ergo in Christo sit substantialis unio, necesse est ut in Christo sit tantum unum esse.

4. *Esse unum in Christo, sed non omnino simplex.* — Dico secundo: hoc esse Christi Domini, quatenus Deus et homo est, non est unum per omnimodam simplicitatem, sed per admirabilem compositionem et substantialem unionem naturae humanae cum persona Verbi, et naturalis existentiae humanitatis cum personali existentia seu subsistentia Verbi Dei. Haec conclusio sequitur evidenter ex dictis; constat enim esse existentiae Verbi Dei secundum se, esse unum omnino simplex; diximus autem, praeter hoc esse increatum, esse in humanitate Christi suum esse existentiae creatum, non omnino perfectum, sed quale esse potest esse solius naturae; et rursus addidimus in Christo Deo homine simpliciter dari unum esse; ergo necesse est esse unum compositione, non simplicitate. Et ratio etiam hoc suadet: omne enim ens ita habet unum esse, sicut ipsum est unum; sicut ergo Christus Deus homo non est unus simplicitate, sed compositione, ita proportionali modo habebit unum esse. Quod exemplo substantiae corporeae explicari et confirmari potest: sicut enim homo constat ex anima rationali et corpore, ita habet unum esse, non quidem omnino simplex, quia aliud est esse parziale animae, et aliud corporis, sed per compositionem ex utroque; et idem est in tota substantia, quatenus ex partibus integrantes constat. Et ex hac conclusione intelligitur ratio, propter quam in Christo Deo et homine, sicut fatemur duas naturas, ita et duas voluntates et operationes, et non simpliciter unam, et tamen simpliciter fatemur unum esse, et non duo, nisi cum addito et secundum quid. Ratio enim est quia duae naturae non uniuntur in unam naturam, sed tantum in unam personam, et ita in ratione naturarum semper manent duae et distinctae; et similiter duae voluntates non uniuntur in

unam voluntatem, nec duae operationes in unam operationem, sed omnino distinctae manent istae proprietates, sicut ipsae naturae, quibus mediantibus solum uniuntur in una persona. At vero natura et persona simpliciter uniuntur in uno esse, quia (ut saepe dixi) existentia est ipsa actualis entitas rei, vel intrinsecus actus ejus; unde non potest fieri unio inter ipsas entitates ut sic, quin fiat inter ipsa esse, et ideo sicut ex unione substantiali resultat simpliciter unum ens, ita unum esse, non simplex, sed compositum.

5. *Quid senserit D. Thomas de existentia humanitatis Christi.* — Juxta doctrinam hanc existimo posse convenienter explicari sententiam D. Thomae in hoc articulo. Primo quidem, quia nunquam ipse docuit, humanitatem Christi existere per existentiam increatam Verbi, sed solum esse in Christo unum esse personale, quod juxta doctrinam positam optime intelligi potest. Secundo, quia ex principiis ab eodem D. Thoma positae, aliis locis, aperte intulimus nostram sententiam de existentia creata humanitatis. Tertio, quia divus Thomas, quaest. de Unione Verbi incarnati, art. 4, hoc diserte docuit, et nunquam aperte retractavit. Quarto, quia supra, q. 2, art. 6, ad 2, dicit humanitatem esse assumptam ad unum esse, non ut est esse naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae, sed prout est hypostasis vel persona; ubi aperte loquitur de esse existentiae naturae; sic enim dicitur ab eodem corpus assumi ad esse animae, 1 p., q. 76, art. 1. Quinto, quia quoties D. Thomas loquitur de hoc uno esse Christi, addit aliquid, quo suam sententiam limitet et explicet; ut hic semper addit illam particulam, *esse personale*; et similem addit, Quodlibeto 9, art. 3; in 3, dist. 5, q. 2, art. 2; et supra, hac 3 p., q. 9, art. 1, ad 3, dicit unionem factam esse ad hoc unum esse personale. Et infra, q. 19, art. 1, ad 4, dicit esse pertinere ad constitutionem personae, et ideo unitatem personae requirere unitatem ipsius esse completi et personalis; non ergo sine causa divus Thomas tam caute semper loquitur, sed ut indicet hoc unum esse personale, non excludere existentiam ipsius naturae, quae ad componendum ipsum esse totius personae concurrat, quia ita unum supposito, ut ex illa unione resultat unum esse simpliciter totius personae compositae. In quo differt humanitas ab accidentibus, quia accidentia nullo modo pertinent ad constitutionem personae, sed adveniunt illi jam plene constitutae; unde

in dicto Quodlibeto sic loquitur D. Thomas: *Rei substantiali duplex esse tribuitur: unum, resultans ex iis ex quibus ejus unitas integratur, quod est esse suppositi substantiale; aliud superadditum per accidens; quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cujus integritatem concurrat etiam humanitas, ideo est unum esse substantiale Christi, habens unitatem ex parte suppositi, non ex natura.* Sentit ergo hoc unum esse coalescere aliquo modo ex esse ipsius naturae, quamvis unitatem simpliciter habeat ex conjunctione ad suppositum. Sexto, ex discursu hujus articuli hoc colligi potest, tum quia in principio dicit, esse pertinere ad naturam et ad hypostasim; ad hypostasim, ut ad habentem esse; ad naturam vero ut ad id quo aliquid habet esse; habet ergo natura aliquo modo suum esse, quo concurrat ad esse totius suppositi. Neque enim verisimile est quod Cajetanus hic et alii Thomistae dicunt, naturam esse quo aliquid est, quia est principium ipsius esse; quia, ut supra ostensum est, non potest natura esse principium ipsius esse, nisi ipsa existat. Unde minus credibile est quod Cajetanus ait, et indicat Capreol., in 3, dist. 5, q. 2, art. 3, ad 4 et 5 principale, ut natura existat, non oportere ipsam actuari per existentiam, sed sufficere quod ipsa sit, qua aliquid existit; quamvis enim natura non sit ens completum, tamen est verum ens intrinsece includens propriam entitatem suam actualem; quae sine intrinseca existentia veluti actuante seu constituyente ipsam entitatem, nec mente concipi potest. Tum etiam quia aperte D. Thomas explicat unitatem hujus esse personalis per conjunctionem seu constitutionem unius ex multis; unde in exemplo quo utitur, sic inquit: *Esse autem capitulum, et esse corporeum, et esse animatum, totum pertinet ad unam personam Socratis; et ideo ex omnibus his non fit nisi unum esse in Socrate;* et postea adhibet exemplum de parte integrante; quae advenit supposito jam constituto; quam dicit non afferre novum esse, sed trahi ad unum esse suppositi, cum tamen evidentissimum videatur, partem integram habere suam existentiam partialem, licet ex omnibus his partibus unitis resultat unum esse totius, non simplex, sed compositum. Tum denique quia discursus, et ratio D. Thomae non concludit esse in Christo unum esse, nisi praedicto modo; non est ergo cur asseramus D. Thom. plus intendisse quam probat.

6. *Objectio prima.* — *Responsio.* — *Objectio*